



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatus De Conscientia, De Peccatis, De Legibus, De Fide, Spe,
Et Charitate

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

10 Quod privilegium latè, vel stricte interpretandum sit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76540](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76540)

non censetur habere privilegium aduersus monasterium... quia non censetur Princeps velle iuri alterius acquiriti derogare, nisi illius expressè meminerit.

PUNCTUM IX.

Qua ratione privilegium interpretandum sit.

- 1 Privilegium verbis clari concessum interpretatione non indiget, in dubio potius meum, quam verbum inhaerendum est. Et ex supplicatione colligenda concessio.
2 Privilegium derogans iuri communi, vel alteri nocens, secundum hanc rationem odiosum est, aliquando quod uni est odiosum, alteri est favorabile. Et tunc est mixtum.
3 In privilegio interpretatione seruanda est verborum proprietates: qua desumenda est ex vltis et stylo concedentis.
4 Non est faciendum in a stricta privilegij interpretatio, ut reddat privilegium inutile, et privilegium extenditur ad necessarium conexa.
5 Qua sit lata interpretatio, Quis stricta?

Alia sunt, in quibus Doctores conveniunt. Primò, Doctores conveniunt, si privilegium feratur verbis clari sufficienter intentionem concedentis experimentibus, interpretatione non indiget, quia interpretatio est ad investigandum voluntatem concedentis, ex qua tota efficacia privilegij pendet. Siergo hoc ex ipsis verbis apparet, superflua erit alia diligentia. At sepe contingit aliud sonare verba, aliud constare ex manifestis coniecturis, esse ex mente concedentis, tunc potius mentis, quam verbis inhaerendum est, ex cap. in huius de verborum significati. ibi, non sermone rei, sed rei est sermo subiectus. Et non intentio verborum, sed verba debent intentioni sequi. Idem colligitur ex cap. Martinus, 1. q. 1. cap. secundum. 2. disp. de alius, et tradit Azor. lib. 5. cap. 2. quæst. 2. Sylvest. verbo privilegium, quæst. 3. Salas disp. 17. sect. 8. cum. 45. Et disp. 20. sect. 10. cum. 90. §. quarto. Si verò verba indifferencia sunt obicura, et incerta, tunc attendenda est supplicatio: nam Princeps precibus sibi factis se solet accommodare, ex l. si preces ff. de leg. b. cap. inter dictos, §. ceteri. de iud. instrumens. de iur. Matienz. lib. 5. necophil. 2. leg. 1. §. 1. §. 2. cum. 3. Guier. lib. 3. præf. 99. 17. et 18. cum. 42. et 43. Salas disp. 7. sect. 9. Bonacina disp. 1. quæst. 3. punct. 7. cum. 2. Suarez lib. 8. cap. 28. cum. 19. Deinde attendi debet intentio ipsius iudicis, quia iuxta illam reliqua solent adiungi. l. vlt. de hered. insti. Item materia, circa quam privilegium feratur, quia ex re et materia subiecta optime intencio Principis investigatur: ac denique possimus spectare aliud simile privilegium, & ex illo interpretationem sumere. Quod si adhuc res sit dubia, nec probabiliter per receptam doctrinam definiti possit, inquit Suarez, Salas, & Bonacina supra alios referentes, consuli debet Princeps, nisi aliquod sit periculum in mora: nam si est, uti licebit, quod secundum prudentiam visum fuerit pro loco, & tempore convenire.

Deinde duplex est privilegium, aliud dicitur derogans iuri communi, vel alicuius tertij; aliud, quod nemini nocet. Privilegium, quod derogat iuri communi, vel alicuius tertij, secundum hanc rationem odiosum est, quia nocentium, & gravamen continet. Privilegium verò, quod nemini nocet, favorabile est, quia favorem, & gratiam continet nullo gravamine mixtam: solet autem privilegium uni favore, nocendo alteri, & tunc privilegium est mixtum ex odio, & favore, quale est privilegium exemptionis à decimarum solutione: ut autem hoc privilegium reputandum sit absolute favorabile, vel absolute odiosum, spectanda est causa, ob quam conceditur, quæ si bono communi, & religioni maxime fauere, censendum est privilegium favorabile.

Item in privilegij interpretatione seruanda est verborum proprietates quoad fieri possit. Quia si ad improprias significationes licet recurre, nihil in privilegio esse firmum: sic glossa in Clem. littere de prebendis, verbo dilectus, Bonacina disp. 1. quæst. 3. punct. 7. §. 1. cum. 2. Salas disp. 17. §. 1. cum. 47. et 49. Suarez lib. 8. cap. 28. cum. 15. et 16. Thom. Sanchez lib. 8. de dispensat. disp. 1. cum. 5. ubi alios referit.

Hæc autem proprietates verborum attendenda est penes vltim, & styli concedentis: ut si privilegium sit regium, attendendus est stylus Regis, si Pontificum, attendendus est stylus Pontificis, quia inde aptius cognoscitur intentio concedentis, quæ per interpretationem investigatur, sic ex Bald. l. si quando. l. c. de bonis vas. an. in l. 10. Sylvest. verbo privilegij, quæst. 3. Azor. lib. 5. cap. 2. quæst. 2. tradit Salas num. 49. Bonacina n. 2. Suarez num. 16. ubi variis exemplis doctrinam declarat, inquitur enim, si privilegium concedatur Episcopo pro suis familiaribus, ut conceditur in Trid. intelligi debet de familiaribus, qui actu famulantur, non de illis, qui per litteras ad famulatum recepti sunt, iuxta cap. vlt. de verborum significati. in 6. quia hi in rigore, & proprietate famuli non sunt, sed electi in famulos. Item si concedatur facultas minuendi numerum militum Ecclesie ob penuriam reddituum, non intelligitur

concessa ad augendum numerum, etiam si redditus crescant, quia minuire non significat proprie augere. Item privilegium circa modum seruandi interdicitum, non extenditur ad cessationem à diuinis, quia illa dgo diuersa sunt. Et ob eandem rationem privilegium ascendendi ad maiorem dignitatem, non intelligitur ad accipiendam aequalum. cap. licet, de translat. Episcopis sicut privilegium datum regularibus transcurri ad altiorum religionem, cap. licet de regul. ar. non intelligitur transcurri ad æquæ arctam. Similiter facultas concessa prouidendi primam præbendam vacantem per decessum, non intelligitur data, si vacauerit per renunciationem, vel cessionem, quia vacare per decessum, vel per renunciationem distincta sunt. cap. susceptum, de præbendis. in 6.

4 Rursus nunquam est faciendum interpretatio privilegij ita strictè, ut reddat privilegium inutile. lege non dubium, C. de legibus, quia inutile, & frustraneam actionem efficere, non debet Principem. Quapropter cum privilegium tendat ad concedendum aliquid privilegiato, quod alias ei non liceret, tempore extendenda est interpretatio, quantum fieri potest, ut hunc effectum operetur; neque contenti esse debemus, ut confirmet, quod alias licet privilegiato, nisi ad id manifesta ratio cogat: sic tradit Nauarr. summ. cap. 12. num. 79. & in apologet. de re. d. d. quæst. 3. membr. 6. num. 3. Salas de legibus, disp. 17. sect. 8. num. 46. Suarez lib. 8. de legib. cap. 28. num. 2. Ex quo fit privilegium, seu dispensationem, quantumvis odiosa sit, extendi debere ad ea, quæ illi sunt necessario conexa, & sine quibus effectum habere non potest, quia dñs formam, dat consequentes, quæ ad illam requiruntur, sic Angel. verbo dispensatio, num. 9. Sylvest. quæst. 5. num. 9. Bonacina disp. 1. quæst. 7. §. 1. num. 5. Suarez lib. 6. cap. 11. num. 10. Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 1. num. 19. ubi pluribus relatis docet dispensatum ad plura beneficia, simul esse dispensatum in residentia vtriusque, & dispensatum in minori ætate, ut beneficium parochiale habeat, esse dispensatum in obligatione assumendi intra annum sacerdotium: & parochum dispensatum, ne intra annum ordinetur, simul esse dispensatum, ne eius beneficium vacari possit, quia non vacatur, nisi ob culpam, quæ nulla est stante dispensatione, & idem aliis relatis docet Sanchez num. 24. de Episcopo, cui est dispensatio concessa differendi consecrationem ultra tres menses à iure præscriptis; non inquam, eius beneficia vacari posse, quia nullam committit culpam. Aliud etiam exemplum adducit num. 27. quod mihi optime probatur; inquit enim, si cum illegitimo, vel aliis irregulari dispensetur ad omnes ordines, vel ad factos ordines, dispensari simul ad beneficium aliquod simplex, quod possit ordinibus insigniri, quia sine huiusmodi titulo nequit promoueri in sacris, ex Trident. sess. 21. de reformat. Neque obstat habere patrimonium, seu pensionem, quia pensio, aut patrimonium non per se sufficiunt ad ordines sacros recipiendos, nisi ad illa necessitas, vel utilitas Ecclesie.

5 Tandem lata interpretatio privilegij illa est, quæ extendit privilegium, tam quoad rem concessam, quam quoad personas, quantum verba patiuntur; illa verò stricta, quæ restringit privilegium, quantum fieri potest: sic omnes Doctores.

PUNCTUM X.

Quod privilegium late, vel strictè interpretandum sit.

- 1 Privilegium, in nullius præiudicium cedens late est interpretandum.
2 Privilegium derogans iuri communi regulariter est strictè interpretandum.
3 Explicatur exemplis.
4 An extendatur hæc doctrina ad privilegium derogans statuto, vel consuetudini speciali.
5 Limitatur doctrina in privilegio cedente in fauorem religionis vel pia causa.
6 Item in privilegio inserto in iure communi.
7 Item in privilegio ex certa scientia concessio.
8 Privilegium derogans alterius iuri strictè interpretandum est. Quid de privilegio ad lites, ad beneficia, &c.
9 Privilegium derogans iuri communi, an debeat continere clausulam derogatoriam expressè? Resoluitur negatiue.
10 Limitatur doctrina, dummodo ius commune privilegia non resistat.
11 Derogans iuri alterius debet habere clausulam expressam derogatoriam.

1 Dico primò, Privilegium, quod in nullius præiudicium credit, late est interpretandum, ex c. p. olim, de verborum significati. cum quia est purum beneficium Principis, quod latam admittit interpretationem. l. beneficium, ff. de consuet. Principum etiam, quia fauor, & gratia tenet amplianda est, ex l. hoc mod. ff. de consuet. & demonstr. l. cum quisdam, ff. de liberis, & posthumis.

DE ASTRONOMIA

posthumi, & ex regula iuris, *Olia restringi, fauores communis ampliari*. Neque obstat, si dicas privilegium nunquam esse ita fauorabile, quin etiam aliquod prauiudicium afferat; afferit enim prauiudicium concedenti, qui privilegii concessione priuatur potestate, alii idiplam donandi: prauiudicium item aliis sua singularitate, & exceptione. Ergo ex hac parte limitandum est. Non, inquam, obstat; quia prauiudicium concedentis est ab iplomet concedente intantum; eo enim iplo, quod concedit beneficium, & suam mentem non satis explicat, prauiudicium concedere ample, quia sic decet eius liberalitatem: singularitas autem, & exceptio privilegij, si ex iusta, & rationabili causa facta est (vt semper prauiudicium debet fieri) aliis non nocet; sed potius utilis est; quia illa incitantur ad simile privilegium merendam. sic Salas *disp. 17. sect. 6. numero 44.* Bonacina *disp. 1. quest. 3. punct. 7. §. 1. num. 4.* Suarez libro 8. cap. 27. num. 3.

2 Dico secundo. Privilegium derogans iuri communi regulariter est strictè interpretandum, ex *cap. san. de cap. porro. de privilegiis*. Ratio est manifesta, quia quae parte derogat legi communi, includit dispensationem, quae strictè est interpretanda. Adde bonum commune regulariter esse particulari praefertendum: adde bonum commune in casu dubio pro iure communi, & non pro particulari privilegij est iudicandum: & ita docet Panormitanus in *cap. quod dicitur de eo, de consanguinit. et affinit. cap. quia circa de privileg. cap. olim. c. Abbate, de verborum signific. Sylva, verbo privilegium, quest. 3.* Suarez lib. 8. cap. 27. num. 5. Thomas Sanchez lib. 8. disp. 1. n. 1. c. 5. Bonacina §. Salas n. 44. & alij plures ab eisdem relati.

3 Ex his fit, si illegitimo concedatur privilegium ad ordines, intelligendum est de minoribus ordinibus: tum quia permissio in genere mediocritatem respicit, ex *l. in §. 1. C. communis de legatis, c. legatio generaliter. ff. de leg. 1. ac ordines minores sunt medijs inter consulari, & sacros*. Ergo. Tum etiam, quia est odiosa dispensatio: & sic quoad minus fieri possit, debet laedere ius commune. sic Doctores statim referendi. Excepi, nisi iam illegitimus minoribus esset insignitus; quia tunc ne privilegium esset frustaneum, & inutile de maioribus debet intelligi, sic Syluest. *verbo clericus, 1. quest. 4. c. verbo privilegium, quest. 3.* Salas *disp. 17. sect. 8. num. 49. c. 50.* Bonacina *disp. 1. quest. 3. punct. 7. §. 1. num. 10.* Azor. lib. 5. cap. 23. quest. 2. Suarez lib. 8. cap. 28. num. 16. Sanchez lib. 8. disp. 1. num. 25. qui hoc limitat cum Bellameta, quando Pontifex dispensans nouit illegitimum minoribus initiatum, secus si id ignorabat. Idem docet Salas *disp. 20. sect. 10. num. 91.* Quod si Pontifex dicat, Dispensatio cum illegitimo ad omnes ordines, de minoribus, & maioribus est intelligendum; quia caute addita est illa particula, omnes, vt ordines etiam facti intelligerentur, sic glossa *cap. fin. veri. ad omnes de filiis presbyter. in 6.* & alij relati à Sanchez *supra*, quos ipse sequitur. Item si cum illegitimo, vel alijs irregulari dispensetur ad beneficia, privilegium, & dispensatio intelligenda est de simplicibus, non de dignitatibus, & curatis. sic Salas *disp. 17. sect. 8. num. 50.* Bonacina, Sanchez, & Suarez *supra*. Si vero dicat Princeps: Dispensatio cum irregulari in irregularitate, quam habet, censetur tollere vinculum omne, ac proinde habilem reddere ad omnes ordines, & beneficia. Adde in illis verbis non esse fundamentum vilius, vt possit magis de ordinibus, quam de beneficijs intelligi. Ergo de vtroque est intelligenda dispensatio, non ambigua, & incerta, ac inutilis reddatur. sic Sanchez *supra* num. 28.

4 Sed inquires, an extendenda sit haec doctrina ad privilegium derogans statuto, vel consuetudini speciali.

Respondeo. Probabilius est extendi debere, modo statutum, vel consuetudo non contrarietur iuri communi, sic Suarez *supra* num. 16. Bonacina num. 8. esto contra teneat Salas *sect. 8. num. 52.* Azor *cap. 23. quest. 1.* Ratio est clara, quia tale statutum, & consuetudo est iustitiam communitatis iuris. Ergo praefertendum est iuri speciali privilegij. Ex quo fit dispensatus ab ordinibus, debet intelligi de ordinibus, extraordinarijs, & non ordinarijs. sic Syluest. *verbo privilegium, quest. 9.* Suarez *supra* n. 16. cum Bart. in *l. 2. ff. de iure communitatis*. Ratio omnium est, quia privilegium, quod secum trahit dispensationem in iure communi, strictè est interpretandum: ita vt quoad minus fieri possit, ius commune laedatur, ex *cap. cum dilectus, de consuetud. & ibi glossa.*

Dixi, modo statutum, aut consuetudo non contrarietur iuri communi nam si contrarietur, tunc privilegium late explicandum est, quia eius explicatio lata fauet iuri communi. sic Salas *disp. 20. sect. 10. num. 70.* Sanchez lib. 8. disp. 1. num. 12. Bonacina num. 9. Henriquez lib. 7. cap. 30. num. 3.

5 Supradicta conclusio aliquas patitur limitationes. Prima & principalis est, vt non intelligatur, quando privilegium cedit in fauorem religionis, aut pie cause, tunc enim, est aliquo modo derogat ius commune, late explicandum est; quia iustum ius est, quod pro religione facit. *I. sunt persona, ff. de relig. c. sumpt. funerum.* Quia ratione privilegium concessum filiis familias contra commune ius strictè est explicandum; ita vt solum pro filijs legitimis intelligatur, iuxta *l. g. vlt.*

Cede his, qui veniam aetatis impetrauerunt, & Bart. in l. omnes populi. ff. de i. stir. c. iure, n. 60. c. 62. Ad si privilegium cedit in fauorem religionis, & pie cause, ad legitimatos per privilegium extenditur: tradit Suarez lib. 8. c. 27. n. 7. Salas *disp. 17. sect. 6. n. 43.* cum Bart. in *l. si constanter. ff. soluto matrim. n. 44.* & videri potest Titaeque *tratt. de pia causa, n. 160.* Tale est privilegium concessum militibus, religiosis, & alijs similibus; expedit enim maxime reipublicae, religioni, & communi bono his personis fauere; quo bono compensatur sufficienter vulneratio iuris communis per dispensationem facta, sic Suarez *supra* Salas *sect. 8. n. 52. c. disp. 20. num. 90. vers. sexio.* Bonacina *disp. 2. qu. 3. punct. 9. §. 1. n. 5.* Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 1. n. 33. Eman. Rodriq. tom. 1. regul. 99. q. 11. ar. 6. vers. decima regula. Hinc inferit Sanchez num. 14. Salas sub num. 90. vers. sexto. Si tibi Episcopus dispensationem concedat colligendi fructus in absentia causa studij, esse late interpretandum; quia non tam ob personam, quam ob causam publicae utilitatis conceditur dispensatio.

7 Secunda limitatio est ad privilegium non insertum in iure communi, quia si in iure communi insertum sit, late est interpretandum. Ratio est manifesta, quia non est privilegium contra ius absolute, sed potius iuri conforme, cum ius commune constituit, sic Suarez lib. 8. c. 27. n. 8. Bonacina *supra*, Sanch. lib. 8. de matrim. disp. 1. n. 7. Hinc inferitur privilegia omnia, quae in perpetuum religionibus conceduntur, late esse explicanda: tum, quia fauent religioni: tum, quia reputantur ob eorum perpetuitatem, ac si corpori iuris inserta forent, sic Sanchez lib. 8. disp. 1. n. 13. Henriquez lib. 7. de indulg. c. 22. n. 3. c. 24. n. 4. sine. Bonacina *disp. 1. quest. 3. punct. 7. §. 1. n. 6. c. 7.* & alij apud ipsos. Extenditur haec limitatio ad privilegium de materia iuris communis; quia tunc secundum ius commune debet intelligi, quia ratione dicit alios referens, Salas *disp. 20. sect. 10. n. 90.* & Sanch. *supra* num. 8. Bonacina n. 7. est dubitauer, dispensationem in tertio consanguinitatis gradu extendi ad secundum cum tertio; quia est conforme iuri communi, vt gradus delumatur ab eo, qui à stirpe remotior est, *cap. fin. de consanguinit. & licentiam testandi concessam Episcopis prodesse, vt testamentum ante illam factum conualecat*; quia est conforme iuris dispositioni, vt testamentum valeat, si facultas testandi tempore mortis existeret. *I. si quis filio exheredato. §. irritum. ff. de in iudic. rapto testam. Matien. lib. 5. recept. tit. 4. leg. 3. glossa 3. num. 4.* Bart. Anton. Gom. & alij apud Sanchez num. 9. Salas *disp. 20. sect. 10. n. 90.*

7 Tertia limitatio est de privilegio, proprio motu, vel ex certa scientia concessio; hoc enim late explicandum est, quantum sit contra ius commune, iuxta *cap. si motu proprio, de prebendis, in 6.* quia tale privilegium est concessum, est proprium beneficium Principis, ac proinde decet eius honorem, & liberalitatem lata interpretatio. sic plures referens Sanchez lib. 8. disp. 1. num. 5. c. 6. Suarez lib. 8. de legibus cap. 27. num. 8. Bonacina *disp. 1. quest. 3. punct. 7. §. 1. num. 7.* Salas *disp. 20. sect. 10. num. 89.*

8 Dico tertio, Privilegium derogans iuri alterius restringendum est, quantum patitur proprietates verborum, quia non prauiudicium Princeps velle hinc iuri derogare, nisi id expresserit, sumitur ex *l. 2. §. 1. verb. merito. ff. ne quis in loco publico, l. n. annus. C. de emancipat. lib. c. plicet in corrigendo, de officio ord. c. ex tuarum, de auctoritat. c. vsu pallij, & tradit Panormit. in c. 1. de iudic. c. consuetud. de rescriptis, n. 9. Sanch. lib. 8. disp. 7. n. 6. Suarez lib. 8. de leg. 27. num. 9. c. cap. 28. num. 10. Salas *disp. 17. sect. 8. ad fin.* Bonacina *disp. 1. quest. 3. punct. 7. §. 1. n. 33.* & alij plures apud ipsos.*

Ex his fit privilegium ad lites concessum strictè explicandum esse; quia praebet occasionem litigandi, & vexandi alios, ac frequenter inuit inferiorum iudicum potestatem: sic communiter Doctores. Et idem est de privilegio ambitioso, quale reputatur ad plura beneficia obtinenda; semper enim haec derogant vel ius commune, vel alterius tertij, ac proinde strictè sunt explicanda. Idem est de privilegio concessio ad beneficia vacantia conferenda, quod non est intelligendum de beneficijs prouidentibus ab ordinario, nisi exprimat. sic Sanchez lib. 9. disp. 2. n. 3.

9 Sed inquires, quibus verbis ferendum est privilegium derogans ius commune, vel tertij, vt intelligatur derogare iuri communi, vel alicuius tertij?

Respondeo de privilegio derogante ius commune, est probabilis sic requiritur clausula expressam derogatoriam iuris communis, cui privilegium opponitur: at probabilius existimo sufficere ipsius privilegij concessionem, nulla derogatione superaddita. Probo, quia Princeps non prauiudicium ignorare ius commune, sed potius illud scire, *cap. 1. de constitutionibus in 6.* Ergo datus privilegium derogatum iuris communis, prauiudicium velle illud derogare; alijs prauiudicium nihil velle concedere, sed tantum actionem inutilem efficere: & confirmari optime potest ex *cap. in his de privileg. vbi privilegium datum minoribus celebrandi in altari portali absque clausula derogatoria iuris communis requiritur licentiam Episcopi, vim habet absque illa*: sic glossa in *dicto cap. 1. de constitutionibus in 6. verbo nos. cum. Felin. alios referens in cap. nonnulli, de rescript. re. gub. 2.*

gul. 2. fallent. 2. num. 11. Bald. in l. item lapid. ff. de rerum divif. num. 3. Suarez lib. 8. cap. 14. num. 4. & 5. Ex quo inferitur, si tibi concedatur privilegium aduersus privilegium in corpore iuris infortium, valebit privilegium ob rationem iam dictam ? quia preteritur Princeps scientiam huius privilegii in corpore iuris inforti habere, & quia idem iudicium sciendum est de illo, ac de iure communi. sic Suarez n. 8.

10 Limitantia tamen est hæc doctrina dummodo ius commune privilegii non resistat si enim resistit derogando, seu remouendo illa, debet privilegium, vt effectum habeat huic iuri sic fortificato derogare, alias nullius valoris erit. Ratio est, quia omnia efficacia privilegii derogatur clausula illa iuris communis. Ergo dum illius clausulæ efficacia non tollitur, effectum non potest habere privilegium. Et confirmo: si privilegium absque clausula derogatoria valeret derogare legem sic fortificatam, cuius utilitas erat illa roboratio, si eodem modo ac si non esset roborata, per privilegium, derogetur? Neque obstat illam resistantiam privilegiorum esse de iure communis: proinde non esse præsumendum à Principe ignorari; quia illo non præsumatur ignorari; potest tamen præsumi nolle illi derogare, cum privilegium verbis communibus concedit absque clausula derogatoria, sed satisfacere tantum importunitati petentium, sic Felinus, & Suarez supra.

11 Verum si privilegium sit contrarium iuri alterius; vel considerandi aut statuto speciali, nullo modo vim habebit, nisi addatur clausula reuocatoria talis iuris, consuetudinis, aut statuti, etiam si privilegium sit proprio motu concessum. Quia nunquam præsumitur Princeps iuris specialibus derogare nisi illorum faciat mentionem, eo quod ignorare illa præsumatur, ex cap. 1. de constitutionibus, in 6. sic Suarez lib. 8. cap. 14. num. 8. & cap. 22. fine. & cap. 28. num. 8. & 10. ubi alios refert Emanuel Saa verbo gratia, num. 1. 4. in vtraque editione.

PUNCTUM XI

An privilegium, seu potestas dispensandi, absoluedi à referuatis latæ, vel strictè interpretanda sint

- 1. Proponitur ratio dubitandi.
- 2. Potestas dispensandi personis non expressis, latè est interpretanda.
- 3. Solutio ratio dubitandi.
- 4. Si potestas dispensandi concedatur expressa personæ, distinctione vtiatur Sanchez.
- 5. Semper esse strictè interpretandum resoluitur vt probabilius.
- 6. Potestas concessa Episcopis in Trident. sess. 24. cap. 6. latè est interpretanda.
- 7. Quid de potestate concessa per Lubiazum & Bullam cruciatæ Resoluitur latè interpretandam esse.
- 8. Quid de potestate concessa alicui eligendi Confessorem, An sit intelligendum de peccatis commissis vel committendis Resoluitur de commissis, si in bonum sit concessa sit potestas.

Ratio dubitandi est, quia hoc privilegium in ordine ad actum, & propter illum conceditur: actus autem, qui est dispensatio, seu à referuatis absolutio stricti iuris est. Ergo etiam debet esse ipsamet potestas; debet enim imitari naturam illius, propter quod est vt tradit Bart. in l. constitutionibus, n. 1. ff. ad municip. Adde, quidquid derogat iuri communi, strictè admittit interpretationem, sed hæc potestas dispensandi, & absoluedi à referuatis, derogat ius commune? commune enim ius est neminem dispensati posse, aut à referuatis absolui nisi à proprio iudice. Si ergo aliis datur facultas dispensandi, & absoluedi, iam lædiur huiusmodi ius. Ergo ex hac parte strictè interpretandum est hoc privilegium: & ita sentit videtur glossa in cap. de rescriptis, in 6. verbo processus, & in cap. soler, de censent. excommunicat. in 6. verbo per superiorem, Anton. de Roliella tractatus de legitimis lib. 2. §. 2. de causa matrimonii, num. 10.

4 Nihilominus tenenda est communis sententia potestatem dispensandi, & absoluedi à referuatis non expressis personis absoluedis, vel dispensandis, latè esse interpretandam. Ratio est quia nulli iuri est contraria talis potestas: nullum enim est ius prohibens ordinario delegare facultatem, quam habet, imò potius iuri est maxime conformis hæc delegatio, quia sic occurrentibus necessitatibus facilius subuenitur. Item hæc facultas delegata nemini nocentem afferet, nam si alicui afferret, afferret iudici ordinario: huic non potest dici afferre nocentem, cum potius nomine ipsius habeatur, & exerceatur: dato quod ipsi nocentem aliquod afferret, cum in illius voluntate consentiat, non est reputandum alicuius considerationis, vt ob eam causam restringenda sit facultas. Adde Potestas ordinaria dispensandi latè est interpretanda, ex cap. per

venerabilem, qui filij sint legitimi, & cap. fin. de simonia. Ergo etiam delegata, quia ideo ordinaria latè interpretatur, quia nec respicit personam aliquam specialem, sed communitatem, cui necessaria, & utilis est hæc potestas; sed potestas delegata nullis expressis personis respicit communitatem, ad cuius regimine multum interest talis potestas. Ergo. Et ita tenet innumeros tenens Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 2. num. 1. Salas de legibus, disp. 20. sect. 11. num. 110. Saa verbo dispensatio, num. 7. Bonacina disp. 1. quæst. 3. punct. 7. §. 1. num. 14. Molin. tractat. 3. de iustit. disp. 173. versic. obseruandum est. Suarez lib. 8. de legibus, cap. 17. num. 11. Couarr. 4. decret. 2. part. cap. 8. §. 8. num. 6. & alii apud ipsos.

3 Neque obstat ratio dubitandi. Fateor, inquam absoluedionem & dispensationem esse strictè interpretandam, quia ius commune vulnerat: nego tamen potestatem dispensandi eiusdem rationis esse, quia non datur propter dispensationem aliquam specialem, & determinatam, sed pro omnibus illis, quæ communi bono, & rectæ gubernationi vix fuerint expedire: quod certe beneficium est, & reipublicæ necessarium, & iuri conforme. Alias etiam potestas ordinaria dispensandi esse strictè interpretanda, cum sit propter dispensationem. Ad confirmationem dico ius commune dicere, neminem absolui, aut dispensati posse, nisi à proprio iudice, vel ab illo, qui vices illius gerat, qualis est, qui potestatem habet delegatam.

4 Verum si persona, aut personæ absoluedæ, vel dispensandæ exprimentur, distinctione vtiatur Sanchez, illa disp. 2. n. 6. Salas disp. 20. sect. 11. num. 110. Bonacina disp. 1. quæst. 3. §. 1. versic. quarta, num. 19. dicunt enim si in gratiam dispensandi concedatur facultas dispensandi, latè esse interpretandam: secus verò si in gratiam eius, cui est concedenda dispensatio. Et mouetur ex cap. sic nulla, de prebendis, in 6. vbi facultas alicui concessa prouidendi de beneficiis vacaturis, nulla expressa persona, non expirat morte concedentis secus verò si super prouisione certæ personæ faciendæ sit data potestas eidem, non ob suam, sed eius, cui prouideri mandatur, gratiam, vel fauorem; illa verò expirat omnino, si concedens re integra moriatur.

5 Ceterum probabilis censo, in vtroque casu idem esse dicendum, nempe facultatem dispensandi cum determinata persona, siue in gratiam dispensantis siue in gratiam eius, cui est faciendæ dispensatio, strictè interpretandam esse: sic docet doctissimus, & nunquam satis laudatus P. Franciscus Suarez noitæ Societatis, & religionis Christianæ optimè meritis lib. 6. de legibus, cap. 17. num. 7. & adducit Angel. verbo dispensatio num. 9. Syluest. quæst. 5. num. 9. Gambara de autoritate legati, lib. 10. num. 200. Francisc. in cap. si quis, de filiis presbyter. inc. Tabien. verbo beneficium, 2. num. 16. Sayto tom. 3. cap. 18. num. 8. fine. Ratio est; quia dari facultatem dispensandi cum determinata persona in gratiam dispensanti, vel in gratiam eius, cui est concedenda dispensatio, non immutat facultatem, cum huiusmodi finis sit extrinsecus; sed cum datur in gratiam eius, cui est concedenda dispensatio, est strictè interpretanda; quod quod sit inchoata, & quasi virtualis dispensatio. Ergo similiter interpretanda est, cum datur in gratiam dispensanti quia tunc est inchoata, & virtualis dispensatio. Et confirmo sæpè dispensandus potest esse æquè dignus fauore, & gratia, ac est dispensans. Ergo in illo casu æquè erit fauorabilis, & amplianda vel restringenda facultas alicui data in gratiam eius, vel in gratiam eius, cui est danda dispensatio. Caput autem, si cui, de prebendis in 6. non tegit ad decidendum, an gratia, & facultas concessa exprimentando personam, sit latè, vel strictè interpretanda; sed solum an expirat morte concedentis & ibi affirmatur: si gratia sit in fauorem eius cui prouideri mandatur, expirate re integra secus verò erit dicendum, si esset in gratiam eius qui prouidere debebat; quia tunc gratia sortita erat suum effectum, ex hoc autem non inferitur, sitne gratia strictè, vel latè interpretanda cum ipsamet Sanchez lib. 8. disp. 28. num. 87. & sequentib. affirmet mandatum ad dispensandum dispensatione necessaria non perire mortuo mandante, & tamen est strictè interpretandum. Ergo durare privilegium post mortem concedentis non inferat latam eius interpretationem.

6 Ex his inferitur primò, potestatem concessam Episcopis in Trident. sess. 24. cap. 6. de reformis, esse latè interpretandam; tum, quia est facultas data non expressis personis & ob bonum commune Ecclesiæ, & in corpore iuris inclusa. Ergo est latè interpretanda, & ita sentit Henriches lib. 10. de sacrament. ordinis, cap. 20. num. 2. & lib. 14. cap. 18. num. 2. Bonacina disp. 1. quæst. 3. punct. 7. §. 1. num. 19. Sanchez lib. 8. disp. 2. à n. 10. & seqq. & in summ. lib. 4. cap. 54. n. 7.

7 Secundo infero quid dicendum sit de potestate concessa per Lubiazum & Bullam cruciatæ eligendi confessorium, qui absoluet à referuatis, vel dispenset in votis & aliis canonicis impedimentis Sanchez lib. 8. disp. 2. n. 7. Nauas, lib. 2. consil. tit. de iure iurando, in 2. edit. consil. 1. n. 6. Salas disp. 20. sect. 11. num. 100. sine existimant strictè interpretandam esse, quia est beneficium, & fauor accipiatis Bullam, & obtineatis Lubiazum. Item est inchoata dispensatio siquidem tenetur electus si causa subit dispensationis, dispensationem concedere vt bene

DE
ASTRO
PALAC
TONI
I
I
I